



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

XIII. Apud Valentinianas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

TITVLVS XIII.

Apud Valentianas.

DE HIS CAPITVLIS QVÆ SVBSEQVNTVR  
adnuntiaverunt populo Domni Reges Hlotharius & Karolus, quando in ipso  
anno incarnationis Domini convenerunt ad Valentianas per mensem Novem-  
brium.

ADNUNTIATIO  
DOMNI HLOTHARII.

I. DE Missis directis per regnum, ut populus pacem & iustitiam habeat. De raptoribus, de prædatoribus, de latronibus, & aliis malefactoribus, & de omnibus iustitiis.

II. Vt ubi missatici simul venerint, Missi simul veniant. Et si de uno regno in aliud aut de uno missatico in aliud fugerint, simul eos constringant.

III. Vt ubicunque fugerint, illuc indiculus transmittatur ut Comes illos distringat, aut cum alode, aut per quodcumque potest, ut illuc reveniat, & emendet ubi malum fecit.

IV. Vt Missis commendetur ut faciant iustitias, & si non fecerint, quod ipsi pergere debeatis.

V. Vt si necessitas alicui fuerit, omnes sint parati quomodo invicem vos adjuvetis.

ADNUNTIATIO

KAROLI GLORIOSI REGIS.

I. DE adnuntiatione episcopali, & de honore sacerdotum.

II. De reedificatione Ecclesiarum, & de nonis ac decimis.

III. De observatione capitulorum Domni Karoli & Domni Hludouici de Ecclesiis.

IV. De observatione pacis, & caven-

da rapacitate & oppressione rerum ecclesiasticarum ac pauperum.

V. Quod nos cum consilio fidelium nostrorum ordinare volumus qualiter honestè & sine indigentia in curte nostra, sicut antecessores nostri fecerunt, vivere possimus. Et Comites ac ceteros fideles nostros admonemus ut ipsi sic suum esse & vivere ordinent qualiter propter illorum necessitatem vicini eorum ac pauperes non opprimantur.

VI. De concordia & mutuo adiutorio Episcopi & Comitis ad iustitias faciendas & divinum ministerium exsequendum.

VII. De iustitiis per Episcopos & Missos ac Comites nostros in regno nostro studendis.

VIII. De raptis & conjunctione sanctimonialium atque propinquarum seu sponsarum aliorum, ut quod in præterito actum est, secundum consilium & iudicium Episcoporum corrigatur, & de cetero omnimodis caveatur.

IX. Quod si aliquid per necessitatem in Ecclesiis Dei aut contra aliquem fidelium nostrorum fecimus, hoc quam citius potuerimus libentissimè emendabimus. Et de cetero si aliquis apud nos pacem suam nocere voluerit, hoc secundum consuetudinem antecessorum nostrorum diffinire volumus.

X. De placito nostro, & de communi adiutorio contra Nortmannos, & de conlocutione nostra fraterna.

